



2b. 15



108.

120

DISPUTATIO LOGICA

De

NATURA ET
PARTIBUS LO-
GICÆ,

QVAM

Annunte Divina Gratia

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE

M. IOHANNNE Behrens
Hildesheimensi,

Publicè proponit

VVILHELMVS SNABELIVS
Eschvegiensis Hassus.

XI. Kal. Ianuar.



HELMAESTADI,
Typis heredum IACOBI LUCI,

Anno clō lo cXXI.





Reverendis, Amplissimis ac Prudentissimis Viris,

Dn. HERMANNO FABRONIO
MOSEMANNO Poëtae Caesareo, verbi di-
vini Oeconoמו apud Eschvegienses ad D. Cathar.
primario, promotori suo multis nominibus
plurimum honorando,

Dn. CONRADO STANGIO Senio-
ri, Consuli Eschvegiensis Reip. mœcenati suo
medullitus amando,

Dn. HENRICO ERNESTO, Ca-
merario Reip. Helmstadianæ præcipuo, fautori
suo multum suspiciendo,

*Singulis Amicis ac Patronis optimè de se meri-
tis hunc primum studiarum suorum factum in
perpetuum gratæ mentis symbolum,
& in subsequentiis novi anni felix
auspiciis offert*

VVILHELMUS SNABELIUS
Author & Respondens.



THESES I.



Um homini difficile sit rerum
veritatem cognoscere & invenire, in-
strumentum quoddam & modus scien-
di, ut appellat Aristoteles 2. *Metaph. cap. 3.*
text. 15. à philosophis animadversus est.

II. Dicitur modus ille sciendi LOGI-
CA, quæ veluti manu ad veritatis in abditis occultæ co-
gnitionem ducit atq; detegit, quicquid veritatis speciem
præ se ferre videatur.

III. Qua de causa Clemens Alexand. *lib. 6. Stromat.*
Dialecticam vallum quendam esse dicit, ne veritas à So-
phistis conculcetur. Et D. August. *lib. 2. de Ordine cap. 13.*
disciplinæ hujus necessitatem hac ratione ostendit:
Quando, inquit, ratio ad alia fabricanda transierit, nisi
ipsa sua prius quasi machinamenta quædam & instru-
menta distingueret, notaret, dirigeret, proderetq; ipsam
disciplinam disciplinarum, quam Dialecticam vocant:
Hæc docet docere, hæc docet discere, in hac se ipsa ratio
demonstrat atq; aperit, quæ sit, quid velit, quid valeat,
scit scire, sola scientes non solum facere vult, sed etiam
potest.

IV. Ita commendare nobis non cessant hujus disci-
plinæ operam, quibus unicè cordi fuit Sapientiæ studi-
um, quamobrem dignam eam censuimus, cujus natu-
ram succinctè delinearemus, & studiosæ juventuti publi-
cè ventilandam exhiberemus.

V. Initiò autem præter rem morosi non sumus, aut
superstitiosi in disciplinæ hujus appellatione, tantum

hoc monemus, nomine Logices universam venire disciplinam, Dialecticæ vero eam, quæ in utramq; partem disputare docet, contineturq; *lib. 8. Topic. Arist.*

Gen. Logice

V I. Cum Logica sit in animo tanquam accidens in suo subiecto, horum trium aliquid sit necesse est, quæ in animo esse pronunciat Aristot. *lib. 2. Ethic. cap. 5. text. 26.* Sunt verò affectus, potentia, & habitus, sed nemo fuit, qui eam vel affectum, vel potentiam dixerit, relinquatur ergo ut sit habitus.

Mag. 1. 2.

V II. Habituum autem alii sunt principales, alii minus principales sive instrumentales. Principales per se animum perficiunt, & propter semetipsos expetuntur, quorum ab Aristot. *lib. 6. Ethic. cap. 3. text. 29.* recensentur quinque, Intellectus, Sapientia, Scientia, Prudentia & Ars.

7. IIX. Verùm Logicam non esse intellectum, neq; sapientiam, neq; prudentiam, extra omnem dubitationis aleam est positum, restat ergo considerandum, num Logica Ars aut Scientia adpellitari possit, & primùm quidem, num scientia vocari queat, pensitemus.

6. dist.

IX. Duobus autem modis sumitur vocabulum scientiæ: Uno modo cõmuniter pro quacunq; cognitione, sive sit rei contingentis, sive rei necessariæ, quo pacto omnes disciplinas & artes etiã mechanicas vocari scientias dicit Toletus *q. 2. proæm.* Alio modo strictè, ut illæ disciplinae propriè scientiæ dicantur, quæ in rebus versantur necessariis eo fine, ut eas cognoscant, & in earum cognitione persistant. Cum ergò Logica non tradat solius cognitionis gratia notiones secundas, sed ut alios etiam mentis actus informet atque dirigat, oppidò apparet, Logicam scientiam propriè dici non posse.

7.

X. Neque artis titulo Logica insigniri potest, si propriè

prie vocabulo artis uti velimus, quemadmodum defini-
vit Aristot. *lib. 6. Ethic. cap. 4. text. 44.* cui est habitus
cum recta ratione effectivus.

XI. Est enim id propriè efficere, quod extracdimus,
& quod in materia aliqua externa & corporea recipitur,
ita ut in alio ars & efficiendi principium, in alio effe-
ctum & opus sit. Ex quibus liquidò constat, Logicam ad
artis habitum redigi non posse, siquidem habitus Logi-
cus & operatio ejus in eodem sint animo, quare hujus o-
peratio immanens, illius transiens nominatur.

XII. Solet vulgò Facultatis nomine Logica indigi-
tari, quod tamen, si facultatis nomen propriè considera-
re velimus, quatenus habilitatem ad utrumq; contrari-
um significat, ut ex Alexandro docet Zabarella *libr. 1. de*
Nat. Log. cap. 9. & is propriè *διδάσκει* præditus esse sive pos-
se dicatur, qui contraria potest, veluti ambulare, Logi-
cæ attribuere jure non possumus. Nam cum non tota Lo-
gica, sed ejus pars Dialectica in utramq; partem disputa-
re doceat, & nos promptos reddat, facultas toti Logicæ
aptari nequit.

XIII. Nonnunquam facultatis vocabulum adeò la-
tè sumitur, ut omnes disciplinæ, quæ animum saltem
reddant potentem i.e. aptum ad aliquid vel contemplan-
dum, vel agendum, vel etiam efficiendum facultates di-
ci queant. In quo sensu facultas Logicæ genus propin-
quum, quale nos hîc requirimus, esse non potest, & qui
in hac acceptione facultatem genus Logicæ assignant, ni-
hil amplius, quam Logicam habitum quendam intelle-
ctualem esse asserunt, cum omnis habitus animum *duces-*
iv reddat ad quid agendum.

XIV. Cum igitur Logicam esse habitum intellectuale, neq;
ad ullum horum quinque habituum principalium ab Arist.

A 3

6. Eth.

Gen Logica
Veri
6. *Ethic.* enumeratorum neq; ad facultatem redigi posse
constet, manifestò liquet, nihil aliud Logicam esse, quam
habitum instrumentalem, quo juvetur intellectus ad a-
liorum habituum adeptionem.

XV. Illud enim propriè dicitur instrumentum, quod
est alicujus rei gratia, ut docet *Arist. lib. 1. de Part. Animal.*
cap. 5. & in ordine ad aliud, & quod amota utilitate ipsum
per se expetendum non est. Quod cum ita se se habeat,
optimo jure Logica nomine instrumenti gaudere potest:
nemo enim notiones secundas, quibus Logica constat,
addisceret, nisi ulteriori fini eas inservire sciret. Tantum
de Genere Logicæ.

Finis Logicæ
XVI. Porro suprà diximus, Logicam esse propter
veritatis adeptionem, eoq; sine omnes nostros discursus
dirigere, ne in veritatis indagine exorbitet intellectus: ex
quibus nullo negotio colligitur, duplicem hoc loco
constituendum esse finem, unum internum, qui est in
nostra potestate, alterum externum, quem non semper
assequimur, sed eo non rarò ut medicus sanitate, & ora-
tor persuasione, excidimus. Quemadmodum n. in cæteris
disciplinis & artibus, quæ alicujus instrumenti effectri-
ces sunt, duplex finis esse solet, alter externus, internus
alter, ita etiam in Logica artium æmula contingit.

Augly
1. XVII. Finem internum ipsum potius opus Logicæ
vocamus, quod à Logico efficitur, diciturq; syllogismus,
per quem nanciscimur finem externum, ipsam intellige
veritatem.

2. XIX. Sunt qui duplicem finem externum Logicæ
assignent, discernere nimirum verum à falso, & bonum
à malo, quo innuere videntur, cum utriusque philoso-
phiæ sit instrumentum Logica, finem quoq; ipsius esse
non solum discernere verum à falso, quod in speculativis

tan-

tantum fieri putant, sed etiam bonum à malo, quem scopum in practica philosophia observari autumant.

XIX. Quod super vacaneum tamen esse probat Zab. loco citato *cap. 13.* cum quia Logica tantum sit propter cognitionem, quæ solummodo est veri & falsi per se, non boni & mali nisi ex accidente, quatenus vero & falso contingit esse in rebus bonis vel malis, tum etiam, quia verum & falsum, eorumq; cognitio non modo in contemplativa philosophia, sed etiã in activa locum habeant, & bonum & malum licet non secundum esse reale, tamen secundum esse cognitum ad verum & falsum redigantur. Hæc de Logicæ fine, restat ut de subjecto ejus pauca subjiciamus.

XX. Verum ne in ambiguo laboremus, non est silentio prætereundum, subjectum quatuor modis accipi posse, ut docet Zab. *loc. cit. cap. 15.* Primum quidem in lata significatione, ut quicquid in aliqua disciplina tractatur, subjectum ipsius vocetur, quomodo in Medicina & corpus humanum, & sanitas, & morbus, & medicamenta, & signa possunt dici subjectum, quoniam omnia hæc sub medici considerationem cadunt. Sed in hac nimis rudi & ampla acceptione subjectum Logicæ non est quaerendum.

XXI. Alio modo sumitur magis propriè, ut non omne, quod in aliqua scientia vel arte tractatur, subjectum ejus vocetur, sed illud tantum, cujus sunt affectiones & principia, quale scientiæ speculativæ requirunt, quod Zab. nuncupat subjectum Demonstrationis sive subjectum de Quo, quia de eo accidentia sciendi causa demonstrantur.

XXII. Aliquando autem Metaphoricè & impropriè finis in practicis disciplinis subjectum dicitur, ut
cum

cum sanitatem Medicinæ subjectum dicimus, quia sicuti scientia à subjecto, ita omnes disciplinæ practicæ à fine constituuntur.

XXIII. Deniq; est subjectum operationis, quod omnes Logicæ subjectum investigantes attendere debent. Cum enim Logica sit disciplinæ operatrici similis, ejusq; Scopus non scire sed imponere notiones secundas primis, materia aliqua ei substerni necesse est, in qua formam aliquam generet & producat, quæ subjectum in Quo sive subjectum operationis appelletur, quale in arte statuaria æs, in fabrili ferrum, in medica humanum corpus dicimus.

XXIV. Hoc subjectum in Logica asserimus res omnes, quatenus secundis notionibus substant. Logica enim tota in eo est occupata, ut dirigat intellectum nostrum in investiganda veritate, ut sæpe inculcavimus, cum igitur omnes res sub intellectus nostri discursum cadant, Logica quoq; circa omnes res versabitur. De subjecto hæcenus, Quoniam autem notionum tam primarum, quam secundarum fecimus mentionem, & non parum declaratio illarum ad eorum, quæ de subjecto diximus, manifestationem confert, quædam de iis adjiciamus.

XXV. Ubi advertendum, res dupliciter posse considerari, ut docet Toletus *quest. s. proæm.* Uno modo secundum se & suam naturam; Altero modo, secundum quod à nostro intellectu percipiuntur. Si in se considerentur, habent quasdam proprietates naturales consequentes, ut quod homo sit risibilis, sit coloratus, sit quantus. Si verò considerentur, ut à nobis sunt intellectæ, habent alia, quæ iis attribuuntur, sc. esse subjectum, esse prædicatum, esse genus &c.

XXVI. Unde ex parte constat, quid sint primæ, & quid

secundæ notiones. Nos primas notiones nihil aliud esse dicimus, quam nomina res secundum suam naturam statim significantia per medios animi conceptus, seu conceptus primos quos statim intellectus noster sibi format, cum rem percipit. Ita qui hominem videt, imaginem hominis, qui bovem, bovis, qui equum, equi imaginem animo concipit.

XXVII. Notiones verò secundæ sunt secundi rerum conceptus, seu sunt ii, qui imponuntur primis sive rebus, ut ab intellectu percipiuntur. Prius enim mens nostra rem concipit, deinde in eo conceptu alium conceptum effingit, cumq; voce significat, quæ dicitur vox secundæ intentionis. Ita qui Socratem & Platonem in hoc similes esse considerat, quod homines sunt, conceptum hominis communem mente format, qui dicitur conceptus rei, postea verò dum conceptum hunc cogitat esse commune quiddam, quod de multis solo numero, non specie differentibus prædicatur, conceptum Hominis vocat speciem specialissimam, & secundam notionem effingit.

XXVIII. Ex his liquet multum inter has & illas interesse. Illæ enim sunt ipsi rerum conceptus, & unumquodq; quod per illos significatur, etiam nobis non cogitantibus est, quemadmodum sine ulla nostra cogitatione animal & hominem existere videmus, quocirca etiam opus nostrum esse non dicuntur. Hæ autem solum à nobis mente concipiuntur, & in ea esse suum habent, & ideo animi nostri figmenta, & opera sunt, ac arbitrati nostro esse ac non esse possunt.

XXIX. Est hoc loco probè tenendum, notiones secundas non unam aliquam mentis operationem comitari, sed omnes. Hinc rectè Zabarell. *l. i. de Nat Log. c. 3.* tres

B

gradus

gradus secundarum notionum considerari à Logico sentit : aut enim simpliciter rem apprehendimus, ex qua apprehensione oritur formatio notionum Generis, Speciei, nominis, verbi, prædicati, subjecti &c. aut hujus rei conceptū conferimus conjungendo, vel separando, quam operationem vocant enunciationem, aut deniq; ab uno ad aliud discurremus & colligimus, quæ ratiocinatio dicitur.

XXX. Quæ cum ita sint, perfecta & omnibus numeris absoluta Logicæ definitio potest construi talis: *Logica est habitus animi organicus, qui notiones secundas primis imponere docet veritatis investiganda gratiâ.* Et tantum etiam de definitione, reliquum est, ut de divisione ejus quædam addamus.

XXXI. Cum universum Logicæ studium in solo syllogismo utpote instrumento præcipuo absolvatur, eamq; ob rem finis internus constituatur, ad quem omnia collimant, non immeritò etiam ratione ejusdem partes hujus disciplinæ assignamus.

XXXII. Occurrunt verò in syllogismo duo summâ diligentiam examinanda, forma & materia. Forma nihil aliud est, quam legitima unius ex alio collectio, quæ legitima terminorum dispositione nititur. Per materiam intelligimus præmissarum cum conclusione, sive mediij termini cum extremis affinitatem.

XXXIII. Hæ duæ syllogismi partes sunt toto cælo distinctæ, siquidem in uno eodemq; formam sæpenumero reperias optimam & materiam pessimam, & contra, pessimam formam, optimam tamen materiam, id quod ex sequentibus deprehendi potest.

XXXIV. Esto exemplum tale:

Omnis homo est lapis,

Omnis

Omnis Adamas est homo
Ergo Omnis Adamas est lapis.

Ecce formam optimam; at pessima est materia, nulla enim præmissarum est vera. Verum in Syllogismo tali:

Omne rationale est risibile,

Omnis homo est risibilis

Ergo Omnis homo est rationalis

materiam vides optimam, sed pessimè errari in forma, quam primùm respicere debemus omnium saniorum consensu.

XXXV. Tantum est inter formam & materiam syllogismi discrimen, ut Philosoph^o *i. Priorum Anal.* ab omni materia formam abstrahat, quando ipsis terminis remotis substituatur literarum elementa.

XXXVI. Quemadmodum itaq; Syllogismus duabus, iisque diversissimis partibus constat, formam nempe & materiã, duas quoq; Logicæ partes facimus, unam communem, quæ syllogismi formam, alteram propriam, quæ materiam ejus nobis considerandam exhibeat. Illam quidem communem dicimus, quia forma communis & eadem est omni materiæ, hanc propriam, quia materia alia atq; alia esse potest, vel enim necessaria, vel falsa, vel probabilis.

XXXVII. Ordine harum partium prior est communis, quæ agit de forma Syllogismi, cujus cognitione multum juvatur ea, quæ est de materia ejusdem & propria dicitur. Nam, præterquam quod omnis Syllogismi forma primò omnium respicienda sit, nunquam videre potes & ostendere, in qua figura & modo Syllogismus demonstrativus & *διότι* efficiendus est, nisi quid Syllogismus, quid figura, quid modus sit, perspectum habeas.

XXXVIII. Prius verò, quam Syllogismi formam aggredi-

diaris, hujus disciplinæ subjectū explicandum est, præsertim cum sit una illarum disciplinarum, quæ operatrices appellantur, quarum ea est indoles, ut objectum suum primò omnium cognoscant. Ita medicus corpus curaturus, corporis naturam & temperamentum penitus ignorare non debet, & Ethicus animo medicinam paraturus aliqua animæ & partium ejus cognitione opus habet, ut docet Aristoteles *lib. 1. Eth. cap. ult.*

XXXIX. Qua de re Aristoteles in libro categoriarum summa rerum genera certis classibus distincta tanquam universæ Logicæ fundamentum nobis ante oculos posuit non tam ut species rerum in se explicentur, quàm ut intelligamus, quid de quo prædicari possit.

XL. Quod ut majori facilitate fieret, modos prædicandi unum de altero, qui vulgo prædicabilia dicuntur, nobis reliquit Porphyrius, ex quibus percipimus communius ne sit an angustius quod de alio dicitur, sitne naturalis, an præter naturam prædicatio, quorum omnium usum ignorare non possunt, quibus hujus disciplinæ genus in cæteris perspectus est.

XLI. Nos omnibus hisce, quæ de Natura & partibus Logices dicenda erant, finem imponimus dicto D. Augustini, *lib. 2. de doctr. Christ. c. 31.* quo disciplinæ hujus usum etiam Theologiæ operam navantibus commendat. Disputationis disciplina, inquit, ad omnia genera quæstionum, quæ in sacris literis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet: tantum tibi cavenda est libido

rixandi & puerilis quædam ostentatio

decipiendi adversa-

rium.



Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

Von 7

MC





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13



108.
120
LOGICA
A ET
S LO.
E,
Gratia
EMIA IVLIA
Behrens
nsi,
ut
NABELIVS
lassus.
VV
lar.
DI,
OBI LUCI,
XXI.

